MISSALE ROMANUM
Diözese Brixen (möglicherweise in einem Dominikanerkloster), Wende 12./13. Jh. Seite 172r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



tibi restat uia. Qui cum surrexisset comedit et bibit. Et ambu
lauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadra
ginta noctibus usque ad montem dei oreb. Secundum matheum

In illo tempore accesserunt ad ihesum scribe et phasei dicentes. Ma
gister uolumus a te signum uidere. Qui respondens ait illis.
Generacio mala et adultera signum querit et signum non dabi
tur ei nisi signum ione prophete. Sicut enim fuit ionas in uen
tre ceti tribus diebus et tribus noctibus sic erit filius hominis in
corde terre tribus diebus et tribus noctibus. Viri niniuite surgent
in iudicio cum generacione illa et condempnabunt eam quia
penitenciam egerunt in predicatione ione. Et ecce plus quam
iona hic. Regina austri surget in iudicio cum generacione
ista et condempnabit eam quia uenit a finibus
terre audire sapienciam salomonis. Et ecce plus quam
salomon hic. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine
ambulat per loca arida querens requiem et non inuenit tunc
dicit. Reuertar in domum meam unde exiui. Et ueniens in
uenit eam uacantem scopis mundatam et ornatam. Tunc
uadit et assumit septem spiritus alios secum nequiores se
et ingressi habitant ibi. Et sunt nouissima hominis illius
peiora prioribus. Sic erit et generacioni huic pessime. Ad
huc eo loquente ad turbas ecce mater et fratres stabant fo
querentes loqui ei. Dixit autem ei quidam. Ecce mater tua et
fratres tui foris stant querentes te. At ipse respondens
dicenti sibi ait. Que est mater mea et qui sunt fratres mei. Et
extendens manum in discipulos suos dixit. Ecce mater
mea et fratres mei. Quicumque enim fecerit uoluntatem patris
mei qui in celis est ipse meus frater soror et mater est.